

3. Quamvis nulla conditio sit Deo causa volendi, aut agendi, cum omnia agat per se; Prov. XVI. 4. fidem tamen respicit, ut finem & effectum, in hominem introducendum, Joh. XX. 31.

4 Minime arguit Deum imprudentiae; statuendo, Deum decernere, quod nunquam futurum praesciat certissime: sed hominem, qui veritate non obedit, Gal. III. 1.

5. Omnia quidem sua consilia, per suam essentiam, Deus exsequitur; ordine tamen procedit, Ps. CXI. 3.

CAPUT V. DE PRÆDESTINATIONE.

Pag. m. 34. Aphorismus 4.

Decretum electionis fundatum est in mero DEI beneplacito, non in prævisa fide.

Est falsus & erroneus. — Quia

1. Non solum beneplacito Dei illud scriptura adscribit, sed addit Christum et fidem, Eph. I, 3. 6. II. Rom. IX, 16. 18. 2 Tim. I, 9. Matth. XI, 25. 26. Ebr. XI, 6. Joh. XX, 31.

2. In iis quidem, quos elegit Deus, nihil fuit a natura, quod ipsum ad electionem permovere potuisset: cum fuerint filii iræ, Eph. II, 3. mortui in peccatis, ibid. vers. 15. Col. II, 13. obnoxii condemnationi, Rom. III, 9. inimici Dei; Rom. V, 8. Col. I, 21. 22. gratia tamen iisdem data, factaque est electio, secundum πρέγωστιν, intuitu fidei, per quam custodiuntur in salutem, 2 Tim. I, 9. 1 Petr. I, 1. 2. 5.

3. Non ad fidem, sed in prævisa fide finali futura, electi sumus ad sanctitatem vitae, 1. Petr. I. 1. 2. 5. Matth. XXIV. 13. Eph. I. 4. 5. 6. Rom. VIII. 28. Act. XXII. 14. Tit. I. 1.

4. Fides & conversio, omni modo & sensu, non sequuntur electionem, quæ demum, prævisa fide finali, est facta, 1. Petr. I, 1. 2. 5. Apoc. II, 10. Joh. X, 16. 26. 27. Rom. VIII, 29. 2. Tim. I, 9. Act. XIII, 48.

5. Election non est volentis aut currentis in studio pietatis hominis, sed ex data in Christo gratia, salvantis, miserentis, nec non vocantis Dei, Rom. IX, 11. 16. 2. Tim. I, 9. 1. Petr. I, 5.

6. Etsi nos non Deum elegimus, sed Deus nos elegit prior; Joh. XV, 16. 19. 1. Joh. IV, 10. 19. non tamen ex mero beneplacito, absque intuitu fidei in Christum, Filium Dei unigenitum, Joh. III, 16. 17. 18.

7. Quam-